DE INEFFABILI TRINITATIS MYSTERIO

ORATIO

Habita in Sacello Pontificio

AD SANCTISSIMUM D. N.

CLEMENTEM XIII.

PONT. MAX.

A MARCHIONE JOANNE CACCIA PIATTI
PATRICIO NOVARIENSI
Collegii Clementini Convictore.



ROMÆ MDCCLXVII.
Ex Typographia Chracas, prope S. Marcum in via Cursus.
SUPERIORUM FACULTATE.

Sanctissimo Domino Nostro

CLEMENTI XIII.

PONTIFICI MAXIMO

JOANNES CACCIA PIATTI

FELICITATEM.


C*UM mihi optatissima occasio obtigisset*, BEATISSIME PATER, *me in hanc praeclarissimam urbem, & tot ac tantis profanae, & ecclesiasticae antiquitatis monumentis refertam, atque eruditissimis hominibus, liberalissimisque studiis affluen-*

tem conferendi; eo jucundiorem mihi eam sortem sperabam fore, quo Tibi me citius, & facilius ad pedes provolvere potuissem. Quotus enim quisque est, qui Romam adeat orthodoxis imbutus doctrinis, & Christum sciens, ut unitatem manifestaret, *quemadmodum inquit D. Ciprianus*, unam cathedram constituisse, & unitatis originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuisse; *atque adeo eum videre, & quasi cum eo coram loqui, qui cathedram Petri, supra quam fundata est Ecclesia, tenet, ipse vel in primis non optet, & expetat? Sed mihi vehementer gratulor, quod hæc mea, quantacunque est, solemni habita in die* TRINITATIS *oratio, celeberrimo totius orbis terrarum conventu, Tuo me aspectui opportune non subtrahit: upote quæ abs Te propemodum profecta sit, & ex Tua sacratissima de* TRINITATIS *præconio constitutione creverit. Illud enim quoniam Tuo sapientissimo consilio sancitum esse intellexeram singulis Dominicis diebus recitandum in posterum fore, sicuti ad certam jamdudum Dominicam diem peculiare ejusdem festum propositum fuerat; subiit animum cogitatio me fortasse, ut jam venit in consuetudinem proverbii, rem acu tangere posse, si egomet ostendissem & ad quamlibet Dominicam tanti mysterii solemnitatem pulchre intelligi propagatam, cum non minus Domini,*

Lib. de Uni. Eccl.

ni, quam ipsius TRINITATIS *quælibet hujuscemodi dies dicenda sit. Ad cujus rei emolumentum pertinere sum ratus, si ita majori cultui, honorique Dominici diei provideretur: quam rem non potuisse accuratius agi, neque prudentius, proindeque Tua ex sententia confectam esse confido. Non tamen omnia aut ego dicere, aut Tu,* BEATISSIME PATER, *audire unquam potuisses: sed ex singulis paucissima tantum, & quæ optima, & commodissima videbantur, perstrinxi. Tu Tua sapientia ex his, quæ dixi, cætera facile deprehendes, ut, quibuscumque rebus poteris (poteris autem plurimis) augendo, & amplificando erga Dominicos dies obsequio, atque observantiæ pro Tua summa singularique in inscrutabile* TRINITATIS *sacramentum religione prospicias, & consulas. Quid in eo genere efficere possis, Tuæ in Deum pietatis, Tui in Ecclesiam amoris, Tuæ in omnes sollicitudinis, Tuæ dignitatis, Tui consilii est. Ego Te pluribus morari non debeo, postea quam & meum erga incomprehensibilem* TRINITATEM *studium, & officium, veramque adorationem spero Tibi esse cognitam, & magnam me ex hac occasione, & perpetuam voluptatem esse capturum. Non enim aut Tua altitudo longiorem orationem expectat, aut id fieri mea humilitas patitur, aut res verba desiderant, ac non pro se ipsa loquuntur. Quod reliquum est,* BEATIS-

SIME PATER, *a Te maximopere pro mea constantissima voluntate, & præcipua erga Te veneratione, Tuoque paterno animo, illaque benevolentia, qua omnes complecteris, etiam atque etiam peto, & quæso, ut me sic in tuam accipias fidem, ut humanitate Tua levatus potius, quam Tuæ majestatis splendore videar esse perculsus.*



ORATIO.

QUotannis evenire non dubito, Beatissime Pater, ut cum redeundum est ad hoc solemne Augustissimæ Trinitatis festum, torpeat animus, titubet lingua; ut, neque quid dicatur in tam brevi orationis curriculo facile reperiri queat; et, cum quid reperitur, verba, quibus id explicetur, abdere quodammodo se, ac refugere videantur. Ac re quidem vera ultrone se offerre, & suapte natura fluere, atque decurrere possunt, quæ vel septuaginta interpretes, ubicumque sacratum aliquid scriptura testatur de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, ut inquit D. Hieronymus, hac nominum majestate perterriti, aut aliter interpretati sunt, aut omnino tacuerunt? Altissimum igitur præstat divinæ Trinitatis mysterium corde ad justitiam

S. Hierony. Epi. ad Desid.

Bossuet ad Proverb. xxx. 4.

tiam credere, & ore ad salutem confiteri, sensuque, quo laboramus, mente, qua hæremus, verbis, quibus deficimus, venerari, quam ulla eloquentiæ vi attingere, ullo ingenii acumine penetrare, ullius mentis amplitudine comprehendere audere. Quoniam tamen ipsa diei celebritas nos cogit non tacere, qui suam ex infantium, & lactentium ore laudem perficit, nobis in TRINITATIS nomine congregatis, saltem de ejusdem die, quam ostendam profecto diem esse Dominicam, aliquid non indigne dicere cupientibus adesse dignetur.

Hac enim die cum multa præclara, atque admirabilia sunt, quæ in divinam TRINITATIS laudem referri possint; nonne illud in primis et maximum, & maxima admiratione dignum occurrit, quod ante tempora sæcularia Dominica quidem dies non modo hujusce mysterii repræsentationi, manifestissimæque declarationi, verum etiam faustæ, fortunatæque recordationi, ac religiosæ celebrationi præfinita est? Intuere, quæso, BEATISSIME PATER, atque oculis subjice novæ lucis primordia, qua mundum conditum illustrans, & complens Deus Pater nobis sese indicavit; amplissimam resurrectionis gloriam, atque virtutem, qua Christus primitiæ dormientium verus, ac naturalis Dei Filius apparuit; fructum denique gratiæ uberrimum, & cumulatissimum, quam Spiritus Sanctus infudit Discipulis, non dedit. An, cum die, ut Patres observant, Dominica hæc tanta omnipotentiæ signa data, & hæc vera fidei arcana patefacta, atque illustrata sint, hanc ipsam

S.Aug. Serm. 154 et 151. de temp.

Orig. hom. 7. in ex. Beda de Equinoct.

ipsam diem eidem TRINITATIS mysterio sacram, propriamque dicatam esse non existimabimus? Quod si majores nostri hac quoque die, quæ sæculi imago, primitiæ dierum, luci coœva, sanctaque Dominica a Magno Basilio nuncupatur, dierumque Domina a Sophronio Hierosolymorum Archiepiscopo, & dies pacis a Theodoro Studita, ac tandem a D. Chrysostomo dies panis, & lucis esse perhibetur; hac, inquam, die majores nostri si cum mare rubrum tamquam per aridam terram fide transirent, quod experti Egyptii devorabantur, omnes in Moyse baptizati sunt; si hac ipsa die Angelorum esca nutriti, & panem de cœlo omne delectamentum in se, omnisque saporis suavitatem habentem accipientes, omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt; nobis profecto ipsissima TRINITATIS dies studiose colenda, summaque pietate celebranda proponitur. Siquidem non nisi in TRINITATE nos illa perenni, & in vitam æternam scaturientem lympha abluimur omnes, atque lustramur: non nisi in TRINITATE se nobis adoptione filiorum Dei auctis, Spirituque Filii sui in cordibus nostris clamante, Abba, Pater, idem Dei Filius totum quotidie tractandum, vescendum, immolandumque tradit, Corpus, & Sanguinem suum novo quodam, & infallibili instituto singulis impertiens, & incredibilem suæ divinitatis diffusionem, & communicationem propagans. Quæ si cui leviora videntur argumenta, illa quidem certe, quæ summa sunt, ex quo fonte, hauriam, sentio. Nam si Domi-

Vern. apud Baron. ann. 198. n. 4 et S. Leo Ep. 81. ad Dioscor. S. Bas. homil. 2. Hexam. Soph. orat. de nat. Theod. Stud. ut. 11. S. Chrys. homil. 5. de Resurr.

Hebræ. XI. 29.

1. Cor. X. 2.

Sap. XVI. 20.

1. Cor. X. 3.

Gal. IV 5. 6.

Dominica dies ineffabili TRINITATIS sacramento consecrata, præcipuoque ejusdem cultui devota, & donata non esset, cur initio Christus ejusmodi diei, verus Deus, Deique Filius, Virgine matre de Spiritu Sancto conceptus ad homines venit? Cur idem Christus rex regum, princeps principum, totius naturæ auctor, & conditor, humani generis universi redemptor, et parens, dignitatis, & salutis nostræ instaurator, & effector, hac postmodum die a Joanne baptizari voluit, Spiritu Dei columbæ instar descendente, & super ipsum veniente, factaque de Cœlo voce: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui? Omitto aquam hodierna die in vinum mutavisse, ac proinde cum se Deum, ac Dei Filium non obscure manifestaret, Deique charitatem in illo vino prodigialiter præfiguraret, per Spiritum Sanctum, quem daturus erat nobis, jam jam in cordibus nostris diffusuram, mirificum TRINITATIS velut symbolum ostendisse. Taceo de quinque hodierna die multiplicatis panibus quinque millia hominum satiasse, atque adeo omnipotentiæ, & amoris illum, qui ipsamet sapientia est, dedisse signa, scilicet TRINITATIS arcanum in illa imagine expressum reliquisse. Prætereo de industria ad Discipulos in unum congregatos hodierna ingressum die clausis januis eorum corda replevisse divinis Spiritus Sancti charismatibus, potestatemque tribuisse miseros Inferorum captivos in libertatem filiorum Dei asserendi. Desunt tantæ rei explicandæ accomodata vocabula, deest ad ea enarranda

Matt. III. 16. 7.

randa tempus, cum quo demandati mihi officii necessitas spatium orationis meæ non dimetiri modo, sed etiam adæquare debet. Quamquam autem in hac TRINITATIS die multa admiranda, vereque divina sunt, quæ ego tum quia nota esse arbitror, tum quia ad cætera propero, ne Te diutius detineam, consulto relinquo; illud tamen silentio præterire non possum, quod Apostoli a Domino hac eadem die prædicandi omnibus gentibus Evangelii tubam sumunt, & inferendum universo mundo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti sacramentum regenerationis accipiunt. Illud etiam commemorabo hac eadem die mirandam illam visionem, cujus plura sunt mysteria, quam verba, ab Joanne in Patmos esse visam, ac tribus, qui sunt in Cœlo, Patri, Verbo, Sanctoque Spiritui, quique tres unum sunt, egregium Trisagii acroama ab Angelis memorari audivisse. Dominica autem dies, ut ait D. Ambrosius, tempus Evangelii designat, de Comm. in cap. I. Apocal. quo tempore Apostolus loquitur: ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis; in quo tandem tempore Prophetæ mysteria divina gentibus pandenda esse prædixerunt: quæ quidem omnia ab uno, eodemque Sanctæ TRINITATIS fonte procurrunt, ab incredibili unius, trinique Dei prædicatione proficiscuntur. Quæ cum audiuntur a nobis, cum leguntur, cum pervulganda proponuntur, quo tandem animo esse debemus? quonam pacto hujusce diei præstantiam, divinitatemque dissimulare? quomodo singularem cultum denegare possumus?

quo

quo vero pietatis ardore? qua fide credendi? quanta vi charitatis, & religionis virtute ad recolendam Dominicæ diei solemnitatem opus esse censemus? quæ tantis, utar enim Magni Leonis verbis, divinarum dispensationum mysteriis est consecrata, ut quidquid est a Domino, quem profecto unum esse, & trinum confitemur omnes, & credimus, insignius constitutum, in hujus diei dignitate sit gestum. Quæ cum ita sint, jure optimo majores nostri putaverunt hac futuram die generalem totius mundi resurrectionem, atque renovationem, quando qui bona fecerint in fide TRINITATIS, æternam vitam, beatitatemque adipiscentur, qui vero contra, Trinitatem sive negantes, sive despectui habentes, mala perpetraverint, flammæ inexstinguibilis supplicio perpetuo addicentur. Hinc bene ac sapienter institutum est, ut symbolum illud, in quo Magni Athanasii nomen inscribitur, congregata in unum majori frequentia populi a Christianis recitetur, ut incomprensibilis TRINITATIS confessio eo die apertius celebretur, quo ipsa quidem præcipua nostræ fidei mysteria operari dignata est. Hinc qui consecrandi sunt, iis numquam benedictiones nisi in die Dominica tribui statuit ipsemet Leo, ut cœlesti quadam regula insinuatum, & traditum noverimus illa ipsa die, qua incredibili divinæ TRINITATIS beneficio omnia gratiarum dona collata sunt, sacerdotalium benedictionum mysteria nobis esse celebranda. Hinc præstantissimi illi viri, ea sanctitate, quam Apostolorum temporibus vide-

Ep. 81. ad Diosc.

videmus comprobari, tum dignitate, tum etiam vetustate, Barnabas, & Ignatius, quibus addendi sunt D. Justinus Martyr, & Tertullianus, & Origenes, rite, ac solemniter hunc diem colendum, atque omnium potissimum habendum admonent: Cæsarius vero Arelatensis Episcopus, qui die Dominico lectioni insistere, & uni, trinoque Deo supplicare negligunt, eos non leviter peccare autumat: Concilium denique Forojuliense sub Paulino Patriarcha Christifideles cohortatur, quemadmodum idem ad Bulgaros rescripserat Nicolaus Papa, toto Dominicæ diei spatio omnes uni vacare orationi, atque ab omni peccato, carnalique, & terreno opere abstinendum, ejusdemque diei horas in psalmis, & hymnis, & canticis spiritalibus, in oblationibus offerendis, in memoriis Sanctorum communicandis, in divinis eloquiis auscultandis, postremo in eleemosynis indigentibus ministrandis omnes transigendas esse decernit. Quare id quod extremum est, Sanctissimæ TRINITATIS die, quæ non hodierna solum, sed omnes Dominicæ putandæ sunt, providendum profecto est, ut nulla a nobis annua festa religiosius agantur, nulla nobis antiquiora, nulla cariora, nulla venerabiliora, nulla denique sanctiora esse arbitremur. Dominica enim ea est dies, quam potissimum si Augustissima TRINITAS sibi assumit, vidimus jam suo jure quodammodo vindicare. Hæc dies est, quam fecit TRINITAS, ut exultemus, & lætemur in ea: dies, quam nullæ temerant nubes, nulla interpolat nox, dies

S. Bar. in ep.
S. Ign. Ep. ad Magn.
S. Just. Apol. 2. ad fin.
Tertull. Apolog. et de Anima.
Orig. hom. 6. in ex.
Cæs. hom. 10.
Anni 791. Can. 13

occa-

occaſus neſcia, cujus claritas mundum illuminat, cujus ſplendor fidelium mentes illuſtrat, ut ſuo in lumine illud verum lumen videre poſſimus, quod homines in tenebris, umbraque mortis ſedentes mirum in modum, inauditum antea, neque dictum ore humano, neque dicendum, recreat, exhilarat, irradiat. O quando veniam, & apparebo, divina, recondita, penituſque abſtruſa TRINITAS, ante faciem tuam in ſplendoribus Sanctorum! O quando videbo diem illum, diem jucunditatis, & lætitiæ, diem illum perpetuo Dominicum, quo neque ſpeculo indigebo, neque per quædam ænigmatum involucra, atque integumenta, inenarrabilem tanti myſterii rationem, & ſublimitatem perſpiciam! O præclarum diem illum, diem æternum, diem votis omnibus expectendum! Utinam ad diem iſtum poſt tenebras hujus mundi citius perduci mereamur! Tunc enim gaudentes, & exultantes, non per temporum, & horarum momenta, ſed ſine intermiſſione cantabimus tibi, qui nos vocaſti in admirabile lumen tuum, ut æternam omnibus vitam, beatitudinemque largiaris. Amen.

F I N I S.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

D. Jordanus Patriar. Antiochiæ Vicesgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum Sac. Palatii Apostolici Magister.

